

INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-  
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-  
vina essentia differentis

notis characteristicis ordine  
et de generatione ac divi-  
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti  
ejusque aeterna processione

a Patre et filio, et de Sa-  
cramentis tam veteribus quam  
recentioribus etc.

5 De peccato originali per  
difficiliam scripturam polysemam  
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum  
sanctum sive peccatum ad  
mortem.

7 De unione hypostatica du-  
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et  
naturarum et earum de-  
terminatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-  
tali et statu humilitationis

10 De officio Christi re-  
gio, et statu exalta-  
tionis.

11 De justificatione ho-  
minis peccatoris coram  
Deo.

12 De efficacia ministerii  
verbi et sacramentorum  
Dei. Ministerium Ecclē-  
siae vocacione.

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De sacramento ingere-  
re. 13 a. c. 4.

16 De baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De poenitentia et  
Confessione. 11. 12

19 De Traditionibus hu-  
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus  
et potestate Ecclesi-  
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus  
illi Dei qui tollit peccata  
mundi

26 De verbo Dei  
scripto seu scriptura  
in sacra.

DISPUTATIO IIII.

DE COMMV-  
NICATIONE IDI-  
OMATVM.

*In qua excutienda*

Sub auspiciis sacrosanctæ Trinitatis

PRÆSIDE

LEONHARTO HVTTERO

SS. THEOLOGIAE

DOCTORE,

*Respondebit*

SEBASTIANVS ARTZGRABER

Aurbachius, Palatinus

*Die 23. Iunij, horis antemeridi-  
anis.*



F E N Æ

Typis Tobia Steinmanni

ANNO MDLXCVI.



*A* *M* *P* *L* *I* *S* *S* *I* *M* *I* *S* *E* *T* *P* *R* *V* *D* *E* *N* -  
*ti**ss**im**is* *vir**is*, *D**omin**is* *C**onsul**ib**us* & *S**en**ator**ib**us*  
*incl**ut**a* *R**eip*. *A* *V* *R* *B* *A* *C* *E* *N* *S* *I* *S*, *P**atr**is*  
*bus* *p**atri**e*

*N* *E* *C* *N* *O* *N*

*Magnifico, Consultissimus atq; Clarissimis viris*  
*Dn. IOHANNI STROMERO,*  
*Aurbachio, V. I. Doctori excellentissimo, eius-*  
*demq; Facultatis in inclyta Ienensium Acade-*  
*mia Ordinario digniss. & ibidem Dica-*  
*sterij assessori primario*

*Dn. M. IOHANNI CRVSIO,*  
*Avunculo, apud Chemnathenses Syn-*  
*dico fideliss.*

*Dn. VVOLFGANGO VVEISMANNO*  
*juniori, Aurbachio, V. I. Can-*  
*didato,*

*Dominis Mæcenatibus ac Patronis suis*  
*singulis & universis reverenter colens*  
*dis hasce theses pro Symbolo gratitudo-*  
*inis debito, & religionis tessera*  
*in perpetuum pu-*  
*blica*

*Offert, dicat, consecrat*  
*Sebastianus Artzgraber*  
*Respondens.*

*V. Cliens.*

De communicatione Idio-  
matum.

T H E S I S I.



**D**E *UNIONE* Hypostatica duarum naturarum in Christo; & primo gradu Communicationis, qui in arctissima naturarum ad se invicem κοινωία consistit, in disputatione superiore proxima, disceptatum fuit copiosius: restat, ut quid de altero κοινωίας gradu, quem Communicationem Idiomatum appellare solet Ecclesia, nobis sit credendum, ex verbo Dei dispiciamus alius.

2. Quemadmodum verò ex una parte studiosè admodum declinanda est *παράστασις*, quã nuda naturarum nihil sibi invicem communicantium fingitur assistentia: & Nestoriana hæresis postliminiò quasi in Ecclesiam revocatur: ita ex altera parte Eutyriana naturarum, earumq; proprietatum σύγχυσις & confusio diligenter admodum est vitanda.

3. Verissima enim & omni exceptione maior, Logicorum hoc etiam in mysterio est regula: Propria non egrediuntur sua subiecta.

4. Quin imò & illud haud inviti largimur, in ipsa etiam unione, quamlibet naturam ita suas retinere proprietates essentielles, ut nunquam in æternum alterius naturæ propria evadere ullâ ratione queant.

5. Interim tamen, cum duarum in Christo naturarum unio non se habeat, ut duorum asserum *παράστασις* & conglutinatio: sed arctissima illis intercedat ad invicem κοινωία; certè ab hac naturarum κοινωία, Idiomatum

communicationem nullo modo excludi posse, firmiter colligimus.

6. Cum n. ὑπόστασις ἔστι λόγος, & eius Idiomatica realiter non differant, sed sint quiddam τὰ αὐτὰ, ita ut ὑπόστασις ἔστι ἰδιώματα ἔστι λόγος simplicissime inter se convertantur: sanè qui ὑπόστασιν carni humane verè communicatam fatetur, is non naturarum modò mutuam, sed idiomaticam quoque communicationem admittat, necesse habet.

Calvinus  
contra  
Heshuf.  
pag. 23.  
97. Martyr  
in Dial. pa.  
50. 56. 83

7. Unde constat Sacramentarios, uti realem naturarum κοινωνίαν, sic ἰδιωμάτων quoque κοινωνίαν negantes, ne ipsam quidem unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo firmiter credere.

8. Neque verò ulla contradictionis sive ἀντιφάσεως implicatio, ex hac sententia, Ecclesiis nostris impingi ullo iure aut potest aut debet.

Damasc.

9. Vti enim libenter cum Damasceno fatemur, τὴν ἰδιότητά ἐσθαι ἀκοινωνήτων: & cum Philosopho; Propria sua subiecta nunquam posse egredi, quin naturam suam amittant & propria esse desinant.

Arist. l. 1.  
Top. cap. 4

10. Ita neutiquam docuimus nec docemus Idiomatica ita communicari, ut ea natura, cui fit communicatio, constituatur proprietatum communicatarum subiectum: ac proinde proprietates suam egressæ subiectum, alteri naturæ ex natura subiecti insint: Qua una ratione oppositum in adiecto statueremus.

11. Verùm ita communicationem Idiomaticam fieri statuimus, ut proprietates communicatae, suarum naturarum propria esse minimè desinant, vel definitionem suam mutant: interim tamen propter arētissimam naturarum unionem, ac inde subsequutam earundem κοινωνίαν, ipsarum quoque proprietatum communicatio locum necessario habere debeat.

Intellexe-

12. Intellexerant aliquatenus ipsi etiam philosophi hanc communicationis diversitatem, dum inter μεθεξιν & συνδυασμὸν τῶν ἰδιωμάτων diligenter admodum distinxerunt: καὶ μεθεξιν quidem, qua definitionem eius quod communicatur impertit ei, cui sit communicatio, nullum propriū alteri communicari posse: καὶ συνδυασμὸν verò si-  
ve copulationē cum subiecto, in quo inest id, quod communicari dicitur, propria communicari posse statuentes, idq; exemplo ferri igniti haud inconcinnè comprobantes.

l. 5. Top.  
cap. 3. L.  
18.

13. Est verò communicatio hæc Idiomatum non essentialis: Manat enim quæq; natura intra simplicissimam suam ἑστίαν, talis qualis suā naturā est, suasq; proprietates ἀσυχύτως semper retinet.

Communi-  
cationsidi-  
omatum  
non Essen-  
tialis.

14. Non Physica: ut quæ cuiusq; natura διτλότηρα non sine horrenda blasphemia inferret.

Non Phy-  
sica.

15. Etsi enim Christus per unionem personalem factus est quod non erat: mansit tamen quod erat: & ut nature ipse ἀτρέπῶς, ἀδιαρέτως καὶ ἀχωρίτως, ita ἀσυχύτως quoq; unita sunt.

16. Non deniq; verbalis, ut quæ nihil aliud est, quàm inanis titulus sine re: & ipsam communicationem Idiomatum penitus evertit.

17. Et quemadmodum nulla huiusmodi verbalis vel predicatio vel communicatio ulla in re vera esse potest: sic Scriptura sacra, quæcunq; de Christo predicat, ea verè omninò, non verbotenùs saltem aut simulatè predicat.

18. Sed naturam sui fundamenti imitata Idiomatum communicatio personalis esse dicitur, qua λόγος suas proprietates intra suam quidem retinet ὑπόστασιν; assumendo autem naturam humanam, in unitatem & κοινωνίαν suā ὑπόστασεως, simul eandem quoq; in communionem proprietatum suarum assumit ac evehit.

Sed Perso-  
nalis.

19. Quae communicatio quia non est physica & verbalis ut quae non fit in subiectis, aut secundum dici duntaxat: igitur, realis à Theologis Orthodoxis appellari consuevit.

Tria com-  
municati-  
onis Idio-  
matum ge-  
nera.

20. Tradiderunt autem, qui hoc caput doctrinae diligentius examinarunt, tria quaedam discrimina, seu tres regulas, secundum quas propositiones de Christo intelligendae sint & explicandae: Unde tria communicationis idiomatum genera exoriri, manifestum est.

I. genus.

21. Ac primum quidem communicationis genus Cyrill. Epi. ἰδιοπολιτικῆν sive appropriationem appellarunt, quando nimirum id, quod uni naturae proprium est, non uni naturae, cuius proprium est, seorsim; sed toti personae quae Deus & homo est, in concreto tribuitur: & tamen per distinctivam particulam ostenditur, secundum quam naturam id personae competat.

29.

For. Conc.

pag. 743.

22. Quem communicationis modum Anathematismus Cyrilli, vel potius Synodi Ephesinae quartus his verbis exprimit: Si quis in personis duabus vel subsistentiis, eas voces, quae in Apostolicis scriptis continentur & Evangelicis, dividit, vel, quae de Christo dicuntur à sanctis, vel ab ipso: aliquas quidem ex his, velut homini, qui praeter Dei verbum specialiter intelligatur, aptaverit: illas autem, tanquam dignas Deo, soli Dei patris verbo deputaverit, anathema sit.

Ro. 1, 3.

Act. 20,

28.

2. Cor. 13,

4.

23. Hoc genus ipsa scriptura satis evidenter comprobatur, dum filium Dei ex semine David natum esse pronuntiat καὶ τὸ αἷμα: dum Deum suo sanguine redemisse Ecclesiam, & Christum passum esse asserit, ἐν σαρκί: dum item Paulus Christum crucifixum esse dicit ex infirmitate.

24. Etsi verò nasci, pati, mori & alia id genus solius naturae humanae sunt Idiomata, ac proinde divinitas ipsa  
neg.



neq; nata, neq; passa, neq; mortua dici potest: Quia tamen λόγος & humanitatem personaliter sibi univit, ideo propria quoq; eius, per ἰδιοποιήσιν, ut veteres loquebantur, sibi univisse piè creditur.

25. Hinc rectè dicimus, Filium Dei passum esse, non relatione quadam, multò verò minus verbali tantum prædicatione seu phrasi, sed verè ac realiter in carne assumpta.

26. Ad stipulatur D. Athanasius scribens: Quæ humanum patiebatur corpus, hac eadem verbum quod corpori coniunctum erat, ad se referebat, ut nos liceret Deitatis verbi fieri participes. Atq; illud ipsum per quàm mirum fuit, eundem fuisse & patientem & non patientem: Patientem quidem, quatenus ipsius proprium corpus, in quo erat, patiebatur: Non patientem verò, quatenus ex naturâ Deus immutabilis erat, ipseq; incorporeus, in corpore patibili existebat, corpusq; vicissim Filium Dei, impatibilem retinebat, absumentem corporeas infirmitates.

27. Et Cyrillus sic inquit: ipsum passum esse dicimus, non quod Deus verbum in sua natura passus sit plagas, aut clavorum transfixiones, aut alia vulnera: Sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, passum est: ideò hac omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat.

28. Etsi verò sacramentarij & Iesuitæ primum hoc communicationis Idiomatum genus aliquosq; videntur admittere, tamè nec illud quidem verè & sincerè credunt: dum illi plerumq; sub Cingliana ἀλλοιώσει seu ἀντιδόσει nominum: hi verò sub vocabulo suppositi, quod per eam naturam, cuius proprium unumquodq; est exponere solent, impietatis querunt latibulum.

29. Alterum Communicationis Idiomatum genus, Cyrillo κοινοποιήσιν dictum, spectatur in executione officij Christi, ubi persona Mediatoris munus illud perficit, non u-

Epist. ad  
Epist.

Epist. ad  
Nestorium

Beza in  
colloquio  
Montisbel.  
p. 213.

Hanc enū-  
ciationem,  
qua Deus  
dicitur pas-  
sus, sic in-  
terpretat  
tur: Deus  
id est, Caro  
Deitati un-  
nita est  
passa.

II. genus.

niss

Idē docet  
For. Conc.  
p. 746.

nus duntaxat natura respectu, sed utriusq; secundum il-  
lam Leonis Romani, à Chalcedonensi etiam Synodo appro-  
batam regulam: Vtraq; natura agit cum communicatio-  
ne alterius, quod uniuscuiusq; est proprium.

lib. 3. cap.  
19.

30. In his verò predicationibus particula distinctivæ  
non adhibentur, quia, etsi ad actiones illas perficiendas u-  
triusq; natura concurrat ἐνεργεία, unum tamen efficitur  
ἀποτέλεσμα θεανθρώπων, ut Damascenus loquitur.

31. Rectè autem & hoc genus propositionum, com-  
municatio Idiomatum nominatur, siquidem quæ in officijs  
Messia cuiq; natura distinctim competunt, per communi-  
cationem Idiomatum toti personæ tribuuntur.

Danzus in  
Exam. c. 4.  
p. 118. Ad  
ea (miracu-  
la) efficien-  
da NON  
PLVS ca-  
ro Christi,  
quàm vir-  
ga Moïsi  
ad edenda  
miracula  
Moïsi pro-  
fuit.

32. Non enim, ut Sacramentarij impiè nugantur,  
unaquæq; natura, naturalem tantummodo suam actio-  
nem, ad executionem officij Christi affert, ut quod Christus  
tangens leprosum, non tactu illo leprosum mundaverit:  
sed divina natura sola eam mundationem perfecit, ta-  
ctus verò qui adhibitus est, tantummodo signum aliquod  
externum fuerit, quod utcumq; repræsentarit, quid divina  
natura absq; humana operaretur.

33. Etsi verò inficias minimè imus, duas in Christo  
distinctas esse naturas, ac proinde duas quoq; ac differentes  
naturarum efficacias & operationes: nihilominus tamen  
utriusq; natura actiones non δινημένως sed ἡνωμένως con-  
currere, constanter asseveramus.

34. Quid? quod quadam sunt, quæ divina natura  
sine humanitate præstare non potest, qualia sunt corpus su-  
um præbere, sanguinem effundere, pati, mori. Quadam  
verò licet divina natura, absoluta sua potentia efficere  
possit: tamen secundum liberam suam & donicam absq; co-  
operatione assumptæ humanæ naturæ, tanquam organi per-  
sonaliter & inseparabiliter uniti, nunquam exequitur.

Qua

35. Qua de causa Christum non secundum alteru-  
tram tantum naturam, sed utramq; simul nostrum Media-  
torem, Redemptorem, Regem, Sacerdotem, Caput & pasto-  
rem esse credimus & confitemur.

36. Tertium genus Communicationis Idiomatum, III. genus  
quod μετὰ φύσιν appellant, explicat axiomata hyperphysi-  
ca, quae λόγῳ & per unionem hypostaticam assumta sua car-  
ni, ultra ac supra naturales eius proprietates, ultra etiam  
& supra dona illa perfectionis finita, qua habitualiter in  
se habet, & cum sanctis servata graduum differentia com- For. Cone.  
munia obtinet, confert: nempè quòd λόγῳ & nature assum- P. 747.  
ta essentialia sua Idiomata verè communicet, ut Omnipot-  
entiam, Omniscientiam, vivificandi virtutem, Omnipre-  
sentiam & similia.

37. Patet hinc, quanam inter primum & tertium  
genus sit diversitas: & quae utrobique, predicationum disse-  
rentia.

38. In primo enim genere unius naturae propria non  
alteri naturae, sed toti personae in concreto realiter commu-  
nicantur: ita ut reciproca & mutua sit communicatio seu  
ἀλλήλοδοσις, quae tam Deo, quae sunt hominis, quàm homini  
quae Dei sunt, attribuuntur: ut, quemadmodum verè dici-  
tur, Dei Filius est passus, crucifixus, mortuus; ita vicissim  
rectè affirmatur; Hic homo, vel homo Christus est creator  
caeli & terra.

39. In tertio autem genere non persona, sed natura  
Christi humanae in persona & λόγῳ subsistenti, à λόγῳ rea-  
liter divina sunt communicata Idiomata, neq; mutua hic  
vel reciproca est communicatio: siquidem divina natura  
ut perfectissima, nihil accedere potest aut decedere: huma-  
na verò praeter & ultra naturales suas proprietates & con-  
ditiones, per hypostaticam cum λόγῳ unionem, & evectionem

B

nem

nem ad dextram patris, divina maiestate & gloria donata est, & supra omne nomen exaltata, &c. Phil. 2, 9.

40. Quamvis verò in hoc etiam genere tertio particula distinctiva adiecta reperiuntur: non tamen, ut in primo genere, ad distinguendas naturas, earumque proprietates asserendas adhibentur: sed demonstrant potius, ea quae supra conditionem humanae naturae sunt: propter unionem tamen hypostaticam ipsi humanae naturae verè competere.

Secus sentientem, in societatem suam (inquit Leo pri. ep. 22.) Aristivras pit,

41. Hinc Regula illa orthodoxae Antiquitatis ἀξιόπιστος: Quicquid in tempore accepit Christus, non secundum Deitatem, ut quae ab aeterno indifferenter habuit, quae pater habet: sed secundum humanitatem accepit, cui quae non habuit, ἀ λόγῳ conferuntur. Leo Magnus Epist. 18. ad palast. Cyrill. l. 11. in Ioh. c. 20. August. contra Felicianum Damasc. l. 3. orth. fid. c. 15. &c.

42. His Communicationis laiomatum generibus observatis, manifestum evadit, nos, inter utrumque extremorum, Nestoriana nimirum & Eutychiana haereses, media via ingressos, neque cum illo duas constituere personas: neque cum hoc, naturarum negare proprietates: sed ita unitatem personae in Christo, & exaltationem humanae naturae asserere, ut tamen neque naturas neque naturarum negemus proprietates.

43. Ut autem quid de accusatione illa, qua Sacramentarij Eutychiana impietatis labem nostris Ecclesiis inurere conantur, sit sentiendum, pateat evidentiùs: opera pretium fuerit, ipsam Eutychis confessionem ex scriptoribus Ecclesiasticis paulò repetere altiùs.

Evagr. l. 1. hist. Eccl. c. 2.

44. In Synodo ergò Chalcedonensi ipse Eutyches suam confessionem his verbis concepit: Ego, inquit, ex duabus naturis genitum esse profiteor Dominum nostrum Iesum

sum

sum Christum ante unionem: post unionem autem unam  
eius esse naturam, & divinum eius corpus neg, substantia-  
le nobis, neg, iisdem nobiscum perpeffionibus esse obnoxi-  
um.

Niceph. l. 1.  
14. c. 47.  
& l. 18. c.  
52.

45. Quae Eutychiana haeresis, uti rectè à 630. illis pa-  
tribus in Synodo Chalcedonensi fuit damnata: ita nos e-  
iusdem Synodi Symbolum huic haeresi oppositum, ita fir-  
mum, sartum, tectum asserimus, ut illud Sovenckfeldiano  
delirio, Eutychianas blasphemias ab orco quasi revocanti,  
vel unice instar clypei Achillei obvertamus.

Anno  
Christi  
451.  
Evagr. l. 2.  
c. 4. Niceph.  
l. 15. c. 4.

46. Et profectò nisi frontem iam pridem perfricuissem  
Sacramentarij, & vel mica candoris Christiani in ipsis su-  
peresset reliqua, non potuisset non insignis huius mendacij  
ipsum iam olim puduisse.

47. Sufficiat hoc tempore Apologia vice, unica Chri-  
stiana Formula Concordiae praefatio, qua huic criminatio-  
ni his verbis respondet: Theologi nostri disertis & expres-  
sis verbis testatum volunt, maiestatem illam humanam  
Christi naturam, nequaquam extra unionem personalem  
ascribendam esse: nec etiam concedendum, quod humana  
naturam eam Maiestatem vel propriam, vel per se, etiam in  
unionem personali essentialiter, formaliter, habitualiter,  
subiectivè (hac enim quamvis non satis Latina vocabula  
scholis placent) possideat. Nam si eam & dicendi & docen-  
di rationem teneremus, divina & humana natura, unà  
cum proprietatibus suis essentialibus confunderentur: hu-  
mana etiam divina, ratione essentia & proprietatum ex-  
equaretur; imò verò tota negaretur. Sentiendum ergo esse  
Theologi iudicant, id ratione & dispensatione unionis hy-  
postaticae fieri.

48. Qua de causa eadem Concordiae Formula, Euty-  
chianam haeresin disertè damnat ac rejicit.

Art. 8. sent  
neg. 2.

Sadeel, in præfat. lib. de verit. hum. nature. Et V. R. BANVS PIERVS  
49. Insigni ergò iniuria nostram Confessionem Sacramentarij afficiant, calumniantes eam Eutychnianos errores, mutatis nominibus reponere, & veterum heresewn carbores, novis flabellis, & inani fallacium distinctonum spe-ctro excitare ac fovere.

in consec. disp. 3. de perf. Christi. Anno 91. Vviteber. habit.  
50. Vti verò nostras Ecclesias ab Eutychnianismo dissi-derare, quod aiunt dissidere, constanter asseveramus: ita Sacramentarios, realem Idiomatum communicatio-nem impugnantes, Samosatena heresews, in qua tan-quam ἐν αὐτοφώγω iam pridem deprehensi sunt, reos verè peragimus.

Ioh. 1, 14. Colof. 2, 9.  
51. Sed ut ad Communicationem Maiestatis humana nature facta redeamus, dicimus eam neutiquam finito-rum donorum, mensuratæq; potentia limitibus termina-tam & inclusam: sed ipsa unigeniti à patre gloria, imò ipsa Deitatis plenitudine definiendam esse.

52. Neg, tamen propterea, uti Calvinista statim hic oggerunt, humana Christi natura vel aeterna, vel increa-ta, vel infinita esse statuitur.

53. Etsi enim non ignoramus, proprietates seu Idio-mata divina, cum divina essentia planè esse τὰ αὐτὸ quid-dam: tamen illa vicissim inter se differre, nec de se invi-cem promiscuè predicari posse, asserimus.

54. Vt enim sapientia Dei non est eius iustitia, nec ius-titia Dei eius est misericordia: utq; misericordia Dei non damnat; nec aeternitas aut infinitas eius salvat, etiamsi ista Idiomata intra Dei essentiam sint ἀπέχει. Ita etiam omnipotentia, omnipresentia, & reliqua Idiomata, qua natura humana communicata dicuntur, non sunt eius æ-ternitas: neg, etiam respectu assumptæ nature pari planè modo promiscuè agunt & operantur universa Idiomata, ipsa in sese tamen ἀδιαίρετα permanentia.

Non

55. Non igitur Sacramentariorum axioma simpliciter verum, quo non posse unum attributum communicari, quia reliqua etiam omnia communicentur, comminiscuntur.

56. Quamvis enim, uti iam dictum, intra Dei essentiam omnia divina Idiomatica sunt simplicissime unum quiddam, ac proinde nullo penitus modo distrahenda: Quando tamen vel consideratione naturae assumtae in communicatione: vel aliarum creaturarum in operatione ad extra considerantur: distinctionem respectu ἐνεργειῶν omnino recipiunt.

57. Exemplo res illustrari potest: Omnipraesentia una eademque est, secundam quam & divina & humana natura dicitur omnipraesens: interim tamen largè aliud est quod λόγος per se & respectu sui est omnipraesens: aliud autem, quod omnipraesentiam illam iam aliquo modo ad extra, respectu humanitatis assumtae exerit & usurpat.

58. Illud enim absoluta est necessitatis, ut si λόγος omnipraesens non esset, Deus nec esse, nec manere posset: Hoc verò libera ipsius est voluntatis.

59. Unde liquet Idiomatica divina, & eorundem ἐνεργειῶν ita distinguendas: ut Idiomatica ipsa intra Deitatis ἐσοῖαν considerata, invariata maneant: Idiomatum verò ἐνεργειῶν libere possint & exerceri & retrahi.

60. Haud igitur à vero alienum quicquam pronunciant ij, qui statuunt aeternitatem & infinitatem habitare quidem in natura humana: sed non peculiare per eandem exercere actiones sive ἐνεργειῶν, id quod faciunt reliqua Deitatis attributa, quae communicata dicuntur.

61. Constat & illud, licet τὸ ἄξιον, aeternitas, infinitas non immediatè communicata sint assumtae humanitati, ut nimirum de ea pari modo, quo proprietates caeterae

pradicari possint: neq, enim humanitatem Christi increa-  
tam, aeternam, infinitam esse, pie quis affirmarit.

62. Interim tamen hac ipsa mediate esse communi-  
cata, mediantibus videlicet ijs Idiomatis, per qua λόγος  
operando in & per carnem solet esse efficax: ac proinde  
Idiomata reliqua qua immediate communicata sunt, recte  
dici spiritualia, aeterna, increata & infinita. Dan. 7, 14.

63. Et si verò hac Maiestatis communicatio, in ipsa  
statim unione seu primo conceptionis momento est facta, si-  
quidem uti supra demonstratum, maiestas hac ab ipsa uni-  
one in solidum pendet, in qua λόγος carnem assumptam  
proprij sui spiritus infinita plenitudine sine mensura inun-  
xit. Iob. 3, 34.

64. Eo ipso tamen etiam momento, quo maiestatem  
illam accepit, quoad plenum eius usum secundum huma-  
nam naturam seipsum Christus ἐκένωσε exinanivit, non  
quod communicatam maiestatem amitteret, sed quod om-  
nipotentia & omniscientia consumatam usurpationem  
sive ἐπέγειαν verè & non simulatione quadam toto eo  
tempore, quod inter primum conceptionis ortum & descen-  
sum ad inferos intervenit, exceptis quibusdam miraculosis  
actionibus, per quas radios quasi quosdam maiestatis illi-  
us emittebat, suspenderet, ut pro nobis pati & mori posset.

65. Et hac est forma illa Servi, quam Apostolus Chri-  
stum accepisse testatur, ut qui in forma Dei existens, non  
rapinam arbitratus est esse aequalem Deo; sed semetipsum  
exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem ho-  
minum factus, & habitu compertus ut homo, humiliavit  
semetipsum, factus obediens usq, ad mortem, mortem au-  
tem crucis. Phil. 2, 6. & seqq.

66. Emphaticum planè vocabulū ἐκένωσε, quo hunc  
exinanitionis statum exprimit Apostolus: divinam utpote  
naturam



naturam ratione sui ipsius immutabilem planè existentem ab hac ἐκένωσι eximens, humanam verò eiusdem ἐκένωσιως capace[m] constituens.

67. Insignis ergo Calvinistarum perulantia, imò verius blasphemia, τὴν μορφὴν δέλα, de qua hoc loco disseris Apostolus, τὴν ἐκένωσιν illam, ad divinam Christi naturam sub incarnationis respectu propriè referendam esse, opinantium.

68. Hunc verò humiliationis sive exinanitionis statum, peracto iam Redemptionis opere, excepit summa illa & ineffabilis exaltationis gloria, in quam Christum iam passum intrare oportuit. Luc. 24, 26.

69. Dicitur autem hic status exaltationis partim respectu exinanitionis: partim verò ratione, donorum & prerogativarum, quas tantas accepit, & quibus usq[ue] a deo erectus est Christus, ut pra alijs omnibus Angelis atq[ue] hominibus emineat, & super ea quae sunt in mundo omnia, exaltatus sit.

70. Et hoc est quod immediatè subiungit Apostolus: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Iesus Christus, in gloriam Dei patris. Phil. 2, 9. & seqq.

71. Facebat ergo Sacramentariorum ὀξύμωρα, qui humanae rationis modulo, fastigium istud sublimitatis metientes, ex albo exaltationis nefariè expungunt, quicquid humanae naturae proprietates excedit: ac proinde non nisi creatas duntaxat qualitates atq[ue] finita dona, seu gratias habituales Christo homini concedunt.

Confess.  
Heideib.  
f. 112.  
Beza in  
colloq.  
Momp. f.  
206.

72. Constat hinc exaltationem Christi non acquisitione nova alicuius gloria, in unione non communicata, sed tali

ali statu definiendam esse, quo Christus seposita  $\mu\omega\phi\eta$  δ'ς-  
λς, ea maiestate atq; gloria, quam à primo statim incarnas-  
tionis momento acceperat quidem: sed exinanitionis tem-  
pore, non nisi interpolatis quibusdam actionibus speciali-  
bus usurpaverat; sic frui cepit, ut plenaria iam potestate  
non λόγος tantum, quâ Deus, sed totus Christus, etiam  
quâ homo, Dominus rerum omnium factus, regat, guber-  
net, operetur, impleat omnia in cælo & in terra.

Orat. 2.  
contra Ari-  
anos.

73. Præclarè hoc explicat Athanasius scribens: Quòd  
dicitur, exaltavit eum; non substantiam, verbi exalta-  
tam significat, (fuit enim & semper est æqualis Deo) sed  
ad humanitatem eius spectat. Neq; ista prius dicta fuere,  
quàm tùm, cum iam verbum caro esset factum, ut palam  
fieret, illud (Humiliavit) & illud (Exaltavit) de homine  
dictum esse. Cuius enim est humilem esse, eius quoq; fuerit  
exaltari.

Bremen'ses  
In Iher  
Verant-  
wortung.  
H. 2. fac. 2.

74. Viderint ergò quantum hodiè ab Arianismo ab-  
sint, qui Christo exaltationem respectu divinitatis tribu-  
endam esse, haud obscurè mussitant.

75. Etsi verò tanta est Exaltationis huius sublimi-  
tas, ut nunquam perfectè & ex toto eius gloria cognosci  
possit: siquidem Iohanne teste, tum demum, quando in glo-  
ria apparuerit Christus, videbimus eum, sicuti est. 1. Iob.  
3, 2.

76. Aliquatenus tamen splendor huius gloria nobis  
innotescit, si iuxta præscriptum verbi divini, eorum Idio-  
matum naturam, fidei magis quàm sensuum oculo inqui-  
ramus, in quibus predicandis non absre Sacra litera plu-  
rimùm laborant: qualia sunt omnipotentia, omniscientia,  
vis vivificandi, omnipresèntia, adorationis cultus, & quæ  
sunt alia.

1. Omni-  
potentia.

77. Ac ut de singulis hisce Idiomatis etiam aliquid  
dicamus, initio omnipotentiam hominis Christi, eamq;  
non

non solius Ecclesia limitibus terminatam; sed ultra & extra Ecclesiam ad universam totius mundi gubernationem & conservationem sese proferentem, tum multa Scripturae dicta asserunt, ut Dan. 7, 13, & 14. Mat. 28, 18. 1. Pet. 3, 22. Hebr. 2, 8. Apoc. 5, 12. &c. tum vero & imprimis D. Apost. confirmat: In Christo omnem plenitudinem Deitatis σωματικῶς inhabitare, disertè pronuncians. Coloss. 2, 9.

78. Emphaticum planè est, quod πᾶν πλήρωμα θεότητος in Christo inhabitare dicit, vel hec ipso Sacramentorum furorem, omnipotentiam hanc de finitis tantum & mensuratis donis interpretantium, fortiter reprimens.

79. ἑμψαλικώτερον vocabulum σωματικῶς, quo non modum huius habitationis, qui corporeus non est; sed subiectum quasi exprimit, naturam nimirum notans, qua sit habitaculum inhabitantis πληρώματι τῆς θεότητος Corpus videlicet Christi sive quod idem est naturam humanam.

80. Sic ergo plenitudinem Divinitatis & λόγος cum assumpto corpore unam personam factam esse, disertè innuit Apostolus, ut Divinitas Filij Dei in corpore hoc suo, tanquam in proprio templo inhabitet, extra illud nusquam sit, & per hoc omnem Divinitatis suae plenitudinem exerat.

81. Ad stipulatur nostra interpretationi ipsa etiam Orthodoxa Antiquitas: imprimis D. Athanasius, hunc locum sic explicans: Cum dicit Apostolus, quod in Christo habitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter: plenitudinem illam in carne habitare intelligendum est.

lib. de nat.  
hum. con-  
tra Apolli-  
narium.

82. Et Cyrillus. Corpus Christi inquit, verè est templum: in ipso enim voluit habitare corporaliter tota plenitudo Deitatis. l. 1. 2. The-  
lauri. c. 15.

83. Quoniam verò cum perfecta hac omnipotentia communicata usurpatione, ullius alicuius rei ignorantia stare haud potest, rectè omnino vel indè, divinam & λόγος

C Sapien-  
ti-

8. **Omniscientia.** *sapientiam, seu uti vocant omniscientiam humanitati verè communicatam esse intelligimus.*

84. *Sic ergo omnes thesauri sapientia & scientia in humana Christi natura latent absconditi, ut vel uno simplici, perpetuo & invariabili intuitu quo λόγος indefinenter intuetur, videat ac novit universa, ipsas quoque hominum cogitationes, quippe in quas inquirendi, iudicandiq; potestatem accepit, quatenus Filius hominis est. Ioh. 5, 27. Ies. 11, 2. Matt. 9, 4. Ioh. 2, 25. 3, 34. Coloss. 2, 3.*

9. **Omnipraesentia.**

85. *Comprahendit autem hac ipsa divina maiestas, Filio hominis communicata sub suo etiam ambitu omnipraesentiam, secundum quam Christus etiam quā homo omnibus omninò creaturis in caelo & in terra, ubiq; praesens & efficaciter adest. Matt. 18, 20. 28, 20. Marci 16, 20. Eph. 4, 10.*

**Damnat hoc monstrum quodque Form Concord. P. 759.**

86. *Initio autem localem omnipraesentiam, qua Christi humanitas immensa mole fingitur expansa, & in infinitum diducta ac per omnia loca diffusa, tanquam prodigiosum & blasphemum commentum toto pectore detestamur & abominamur.*

87. *Personalem autem illam, quae ex unione personali resultat, ac iuxta modum illius unionis & sessionis ad dextram Dei describitur: Maiestati etiam regnantis ubiq; Messiae conveniens est, toto corde credimus, amplectimur, defendimus.*

88. *Quapropter corpus Christi ex se, & natura sua proprietatibus consideratum, in ipsa etiam unione verum omninò retinet corpus, & veras eiusdem naturales proprietates: ita ut infinitum minimè sit, sed partes extra partes habeat, easque singulas ita commensuratas, ut tempore quidem exinanitionis verè de loco in locum fuerit motum: iam verò in ipsa etiam exaltatione finitum maneat, & sua quadam finitate ac *πείρα* contineatur.*

Quo

89. Quo respectu corpus Christi in solo utero B. virginis Mariae conceptum, natum, & non alibi extra uterum matris: Sic tantum in monte Calvaria Hierosolymis & non alibi crucifixus; sic verè & non simulatè de loco in locum progressus esse Christus piè creditur.

90. Interim verò ea ipsa humana natura, non ex se & natura sua proprietatibus: sed ex unione hypostatica considerata, quatenus videlicet ἰδιοσύζησις & seu αὐτοπόσεισις vel persona vel natura non est: verum ita λόγῳ personaliter unita, ut λόγῳ illam intra suam ὑπόστασιν ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίτως presentissimam semper habeat: ea tenus λόγῳ assumpti ubiq; verè presens adesse, invictè concluditur.

91. Neg enim blasphemam Pezely, & ipsius complicum vocem ulla ratione tolerare possumus, qua λόγον ita carnem assumptam sibi univisse garrunt, ut λόγῳ tamen sit etiam totus extra carnem.

Pezel. lib.  
contra D.  
Hunnium  
f. 36.  
Sohn Tom  
2. operum  
f. 225.

92. Hac certè ipsorum hypothesis utpote erroribus scatens, primum λόγον διαίρετον & divisibilem in partes, ac proinde finitum introducit: Qua ratione Anthropomorphitarum revocantur somnia.

93. Deinde Christum verum esse Deum haud obscure negat: Quod enim partes habet, Quod divisionem admittit: Quod finitum est, Deus profectò esse nequit. Arianis ergò hac sententia haud parùm patrocinatur.

94. Tum duos fingit & producit λόγους: Vnum incarnatum in uno aliquo certo loco, quo ipsi adest humanitas assumpta: Alterum non incarnatum, omnibus reliquis in locis, à quibus assumpta caro locorum intervallo abest. Quo sensu Nestoriana impietati non rima, sed campus aperitur.

95. Tandem ipsa unio duarum naturarum statuitur localis, per quam humana Christi natura non in ὑπόστασιν & λόγῳ, ad quam nulla locorum intervalla possunt pertinere:

gere: sed in locum sit assumpta: Quo medio, unio personarum omnino tollitur & evertitur.

96. Quae omnia cum absurdissimis sint absurdiora, & prodigiosam planè nobis Theologiam pariant, regia via ingressi statuimus humanam naturam non cum parte λόγῳ, sed cum toto λόγῳ ita unitam esse, ut ubiq; illam sibi ἀδιασάτως habeat presentissimam: licet modum presentia verbis explicare haud valeamus.

97. Quae enim fide rectè ac piè credimus, λόγον naturam humanam sibi personaliter univisse, licet nullo penitus modo perspicere queamus, qui fieri potuerit, ut totus λόγος, quem caeli caelorum capere non possunt, fuerit incarnatus: eadem etiam fide, rationem sub obsequium Christi captivam ducentes, firmiter credimus, sine omni absurditate fieri posse, imò factum esse, ut λόγῳ, ubi, ubi sit, nullo locorum intervallo, ne quidem atomo ullo à sua humanitate absit vel distet, sed illam, licet non naturaliter, aut localiter, tamen personaliter ἀδιασάτως longè presentissimam semper habeat.

1. Reg. 8,  
27.  
2. Cor. 10,  
5.

98. Constat ex his, quae hucusq; disputata sunt, non modò quid de Sacramentariorum opinione, hanc humanitati Christi omnipresentiam in solidum negantium: verùm etiam quid de illorum curiosa magis quam utili & necessaria controversia statuendum, qui uti humanam Christi naturam in Ecclesia presentem consentunt: extra eandem tamen illam penitus negant.

99. Quibus posterioribus rectè omnino duo illa loca Apostolica opponuntur, quae Christum ad dextram Dei constitutum, supra omnem principatum, potestatem, virtutem, dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiã in futuro, omnia subiecta habere sub pedibus suis; & ideo ascendisse testantur supra omnes caelos, ut omnia impletet.

Eph. 1, 20.  
&c. 4, 10.

Aus

100. Aut ergo non omnia erant subiecta pedibus Christi: id quod tamen, nisi ipsum Apostolum mendacij arguere voluerint, agrè affirmabunt: aut si omnia sunt subiecta, uti revera sunt; illa etiam Christo, quâ homo, præsentissima sint necesse est.

101. Et quemadmodum loca intra Ecclesiam, quibus circumscribuntur fideles, Christi hominis regnantis præsentiam avertere, vel inhibere nulla ratione possunt: sic nec creatura extra Ecclesiam, Christo aequè ac illa subiecta, nec etiam locorum intercapedines quæ sunt extra Ecclesiam, Christi hominis dominium & imperium retardare aut impedire possunt: cùm Scriptura teste, in medio etiam inimicorum suorum, & à mari usq; ad mare dominetur. Psal. 110, 2. & 72, 8.

102. Neq; verò absens per Angelos aut alias creaturas suum hoc dominium Christus homo exequitur: id quod Divit̃s foret δι' ἑαυτοῦ, uti philosophus loquitur: præsentissimus omnibus creaturis administrationem hanc cæli & terræ obit & administrat.

Arist. lib. 2.  
de cælo.  
cap. 10.

103. Deinde nefarium planè fuerit, Omnipræsentiam Christi hominis ita ignobilibus mundi huius accidentibus alligare, ut quemadmodum Ecclesia locis est interrupta, de loco in locum non rarò movetur, imò decrementum & incrementum sapiùs patitur: sic & ipsa præsentia mutationi locorum, alijsq; accidentibus & interruptionibus pro diversa Ecclesie conditione esset obnoxia.

104. Longè profectò rectiùs nobiscum Cyrillus sentit, 1. 12. in scribens: In singulos partibiliter transiens unigenitus, & animam atq; corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atq; integrè in omnibus est, cùm unus ubiq; sit, nullo modo divisus.

1oh. c. 3 2.

105. Et Theophylactus: Christus inquit omnia implet dominatione, operationeq; sua, idq; in carne, quando-

in cap. 4.  
ad Ephes.

quandoquidem divinitate iam antea cuncta implevit.

4. vis vivi-  
ficandi.

106. Ut verò ad reliqua quoque attributa accedamus, asserimus communicationem Maiestatis in se quoque completi vim vivificandi, de qua Christus toto sermone capite sexto Iohannis, imprimis versu 55. perspicue differit.

107. Non autem ea tantum ratione Christi caro dicitur vivifica, quatenus in ea passus & mortuus, vitam nobis acquisivit ac restituit: sed ea potissimum, quatenus secundum eandem carnem vitam in nobis praesens operatur.

108. Non enim λόγος & initium tantum salutis & vitae, sed plenam & consummatam salutem, per assumptam naturam perfecit: vitamque acquisitam quotidie in ministerio verbi & Sacramentorum, imprimis usu S. Coena Dominica nobis confert & dispensat.

109. Παράφρασις hic observandum, quam lubrica eorum sit opinio, qui in negotio Eucharistico nobiscum omnino sentire videri volunt: interim tamen in doctrina de reali communicatione Idiomatum nobis dicam scribunt.

110. Quod si enim candidè, sincere & ἀνδρῶσφιμαρτῶσφι credunt, Christum in S. coena verè suo corpore praesentem esse, & hanc praesentiam pendere à verbo instituentis, non à fide sumentis: fateri sanè necessum habent, illud ipsum corpus, quod in coena praesens esse credunt, aut esse vivificum, aut non esse vivificum.

111. Sin vivificum negarint, id quod tamen ipsi à se alienum esse profitentur, non sanè in coena amplius cibum vitae aeternae, & ad vitam aeternam efficaciter nos alentem habebunt.

5. Adora-  
tionis glo-  
ria.

112. Sin vivificum asseruerint, tum vel in scij propria sua confessione, nostram de reali communicatione Idiomatum doctrinam stabiliunt, λόγῳ nimirum omnipotentiam vivificandi, cum sua carne personaliter communicasse.

113. Caterum cultum adorationis quod attinet, con-

tra



tra impiam Lamberti Danaï assertionem affirmamus, illum non divinitati seorsim exclusa humanitate; nec humanitati seorsim exclusa divinitate: sed toti Christo iuxta utramque simul naturam dependendum esse, & ut Damasceni verbis utamur, una adoratione colendum esse  $\chi\rho\iota\varsigma\ \delta\epsilon\ \theta\epsilon\upsilon\varsigma\ \sigma\upsilon\nu\nu\alpha\mu\ \phi\acute{o}\tau\epsilon\gamma\omicron\nu$ .

Dan. exam  
f. 415. Als  
fert. f. 34.

Damasc. l.  
3. orth. fid.  
cap. 8.

114. Afferit & evincit hac Scriptura, quoties in nomine Iesu omne genua flectendum esse: quoties in Evangelica historia, homines Christum etiam quā homo est adorasse, & adoratos coram sancta ipsius humanitate genua flexisse, & ad Filium David preces suas direxisse testatur. Phil. 2, 10. Matt. 20, 31. Mar. 10, 47. Luc. 18, 38. Act. 7, 50. & 59.

115. Hinc universa militia cælestis religiosissimè colit & prosequitur agnum, qui occisus est, & supplicibus votis ipsi defert virtutem, divitias, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam & benedictionem. Apoc. 5, 12. & 13.

116. Et sanè summa consolationis loco hoc nobis relictum est, quod in angustijs constituti, fratrem nostrum cum fiducia invocare audemus: nihil dubitantes, quin ex eo, quod contingit eum tentatum esse per omnia, etiam ijs qui tentantur possit succurrere: ut loquitur Epistola ad Hebr. cap. 2, 18.

118. Nostram hanc sententiam suo quoque calculo confirmat tota Orthodoxa Antiquitas, ut Didymus Alexandrinus lib. 3. de Spiritu Sancto: Ambros. l. 3. de Spiritu S. cap. 12: imprimis verò Cyrillus libro de recta fide ad reginas: & Canon Octavus Synodi Ephesina, qui anathema dicit ijs, qui non una supplicatione totum Immanuelem venerandum, unamque ei glorificationem dependendam esse, iuxta quod verbum caro factum est, asserere haud dubitant.

118. His, quæ hæcenus ex prescripto verbi divini disputata

l. 2. contra  
Eutychen.  
Socr. l. 7.  
c. 32.

disputata sunt, ita constitutis, reijcimus ac damnamus Nestorij Episcopi Constantinopolitani heresim, qui uti Vigilus loquitur, duas intuens naturas, duas statuit personas ac proinde & unionem personalem duarum naturarum in utero Mariae factam, & verò communicationem idioma-  
tum prorsus negavit.

119. Damnamus & Eutycheten, qui uti supra demon-  
stratum, in contrariam desleētens Hyperbolen, confusio-  
nem naturarum finxit, & contendit, naturam humanam  
factam esse ipsam & λόγος naturam.

120. Quibus annumeramus Monothetas, qui licet  
post unionem duas in λόγω profiterentur naturas, re ipsa  
tamen idem cum Eutychete senserunt; unam voluntatem  
quam Θεοίονον appellabant, Christo attribuentes: οὐ μὲν  
ἑμιαὶ θελήσει κηρύττοντες μιαὶ ἀντικρὺς καὶ φύσει κηρύσσουσι.  
ut Sophronius rectè in Synodo Hierosolymitana pronunci-  
avit: Qui unam tantum predicant voluntatem, unam iti-  
dem & naturam predicant.


121. Damnamus & reliquos Eutychianorum tribu-  
les, ut Severitas, Iulianistas & Theodosianos, vulgo Ace-  
phalos dictos, qui naturas quidem duas in Christo post u-  
nionem etiam videri volebant agnoscere: sed proprietates earum ita confusas esse contendebant, ut sicut gutta a-  
ceti in mare effusa, suas perdit vires; ita humanitatem  
cum divinitate unitam suas amittere proprietates.

122. Damnamus tandem tum alias omnes tum veteres  
hereses, quàm recentiores Sacramentariorum, Iesuita-  
rum, Schvvenckfeldianorum erroneas opiniones, Nestoria-  
nam, Samosatenicam, Arianam, Eutychianam, impietatem  
haud obscure suffulciantes.

123. Tibi Christe Iesu, Rex gloriae, Rex Maiestatis om-  
nis, sit laus, honor, gloria, fortitudo & imperium in infi-  
nita seculorum secula: Tu nos in veritate conserva, ero-  
rantes converte, praefractos confunde. A M E N.







29.



DISPUTATIO IIII.  
DE COMMUNICATIONE IDIOMATVM.

*In qua excutienda*  
sub auspiciis sacrosanctæ Trinitatis

PRÆSIDE  
DONHARTO HVTTERO  
S. THEOLOGIAE  
DOCTORE,

*Respondebit*  
ASTIANVS ARTZGRABER  
Aurbachius, Palatinus

*Die 23. Junij, horis antemeridianis.*



F E N Æ  
Typus Tobia Steinmanni  
ANNO clb lb XCVI.

